

Werk

Titel: Tobiae Pfanneri, De Catechumenis antiquae Ecclesiae Liber
Autor: Pfanner, Tobias
Verlag: Boetius; Litteris Mullerianis
Ort: Gothae; Francofurti; Vinariae
Jahr: 1688
Kollektion: VD17-Mainstream
Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Werk Id: PPN740847600
PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN740847600>
OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=740847600>
LOG Id: LOG_0006
LOG Titel: Prooemium De Ceremoniis Ecclesiae in genere eatumque origine
LOG Typ: section

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions. Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
 Georg-August-Universität Göttingen
 Platz der Göttinger Sieben 1
 37073 Göttingen
 Germany
 Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



PROOEMIUM.

De

Ceremoniis Ecclesiæ
in genere ; earumque
origine.

I.



Asertam in libertatem
ab Ægyptiorum Do-
minatione Israëlita
gentis, suoque sibi ve-
lut ære emptam mancipatamque,
Ecclesiam iis legibus ordinaverat
benignissimum Numen, quæ tanti
Conditoris Majestatem, pro tem-
porum saltem hominumque inge-
nio haud dedecerent, felicemque
redderent Rempublicam, cujus re-
gimen peculiari quodam jure su-
premus rerum nationumque arbi-

A

ter

ter sibi seposuerat ; eò dignitatis
profectæ , ut Principem non nisi
Deum agnoscerent, ab hominum,
si ipsi tantæ fortunæ magnitudinem
pati possent, imperio liberi, soloque
Deo minores. Additi ritus, Ce-
remoniæ, Instituta, quibus & ipsis
Regi suo placere possent, si placen-
di cura animusque durasset. Ita
visum sapientissimo Numini, ho-
mines externis intentos, talium ve-
lut pompâ quadam detinere : con-
ciliandæ firmandæque veneratio-
ni, & quò suis occupati aliena par-
cius sectarentur, adeò ad imitanda
deteriora proclives. Eodem vi-
delicet modo etiam pueris, (si hæc
componere fas est,) crepundia per-
mittimus, quibus minori metu pe-
riculi ludant ; nocitura attrecta-
turi, nî ista indulgeas. Et adhi-
bendæ erant infanti populo velut
imagines, quibus ad divina my-
steria utcunque erudirentur animi,

capiendæ veritatis non nisi per ista rerum imitamenta capaces.

II. Aliter paulo cum Ecclesia ætæ, quam abdicata veteri Gen- te divinorum pariter beneficiorum atque legum ferè immemore, vindicemque suum proprium in exi- tium adspernante, nullo nationum discrimine congregatam novo fœ- dere sibi Deus adstrinxerat. Ita nimirum conveniebat, post tanto- rum seculorum rudimenta altiora tandem ordiri, & neglectâ rerum umbrâ veritati studere, præsentē denique, quem omnes boni oppe- riebantur, Sospitatore, pro effigie exemplar amplecti. Et simplicior cultus Reginam decebat, cujus præcipua extra oculorum obtutum species esse debebat.

Psalm.

XLV.

14.

III. Neque tamen id formandæ interiori venustati studium, ut non & externæ speciei consuleretur. Minor ejus, non nulla cura habenda

da erat, hætenus saltem, quò sua divino cultui forma ratioque constaret; ex Apostoli præcepto, ordine cuncta atque ritè in Ecclesia geri iubentis. Etenim, uti non malè Rudolphus Tungrensis Decanus, decoris, in Ecclesia maximè, servandi necessitatem ostendens, post allata quædam Augustini atque Bernhardi loca, ordinis quaque in in re inuniversum præstantiam atque usum laudantium,

Rudolphus Tungrensis Decanus observ. Propos. l. Si igitur, infert, in omnibus actibus nostris custodire tenemur honestatem & ordinem, in comparabiliter magis honestè & secundum debitum ordinem ea, in quibus adeo obligamur, (cultu nempe ei præstando;) facienda sunt.

Tertull. Apol. c. 25. IV. Hinc isti apud Christianos frugi quidem tum religione, pauperes adhuc Ritus atque Ceremoniæ, simplices scilicet atque rariores, quàm diu sola animi pietate

te propitiari sibi Deum homines
 crederent ; ampliores pluresque,
 postquam progressu temporum, &
 latiori, si externa spectes, Ecclesiæ
 facie, atque minori internorum
 curâ in pompam religio ferè tota
 transierat, Deumque prolixius ve-
 neratus videretur, qui ambitiosius
 majorique paratu coluisset ; Ec-
 clesiâ morositatem, uti scitè Ter-
 tullianus, Mosaicæ legis, magis
 magisque imitante, de suggestu, uti
 idem non minus graviter, & appa-
 ratu, deque sumptu fidem & autho-
 ritatem sibi exstructurâ.

*Tertull.
 de Prae-
 script.
 advers.
 heret.
 c. 3.
 De ba-
 ptismo.*

V. Nobis, eos tantum recen-
 sere animus erat, quibus eximia
 præ reliquis ex antiquitate reve-
 rentia: ea intra secula decursuri,
 quæ Apostolorum ætati propiora
 incolendo Deo minus, ut ita lo-
 quar, luxuriavere, quique aut to-
 tam aut præcipuas Ecclesiæ partes
 occupaverunt ; ut tamen & reli-

quorum, ubi occasio tulerat, recordaremur. quos aut sequior ætas invenit, aut una alterave Ecclesia sibi tanquam proprias usurpavere.

VI. Istud, antequam ulterius progrediamur, monendum, ad Apostolos, aut Apostolicos saltem viros ritus suos plerumque retulisse temporum istorum Christianos Traditione acceptas. Disertissimus atque ingeniosissimus

Tertull. Latinorum Patrum Tertullianus, *de Co-* sententiam suam de corona capite
non mi- non gestanda observantiâ tuitu-
lit, c. 4. ras, modestè quidem, ita ut Apostolos auctores laudare nominibus disertis non audeat; *Hanc, inquit, si nulla scriptura determinavit, cerè consuetudo corroboravit, que sine dubio de traditione manavit.* Atque, ex adversarii pertona, etiam in Traditionis obtentu auctoritatem scriptam à seipso exigens, id verò inju-

juria à se posci exemplis demon-
straturus, post recensitas plurimas
Ceremonias, sine ullius scripturæ
instrumento, solo Traditionis ti-
tulo vindicandas; *Harum*, subjicit,
*Et aliarum disciplinarum si legem
expostulas scripturarum, nulla legis
traditio tibi pretendetur. Auctrix
consuetudo, confirmatrix Et fidei ob-
servatrix. Rationem Traditionis Et
consuetudinis fidei patrocinatorum
aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui
perspexerit, disces. Interim non-
nullam esse credes, cui debeat ob-
sequium. Atque eandem adfor-*
mam Luciferianus quidam sua *apud
Hieron.*
cum Orthodoxo Disputatione; *Dial.
Orth. et
cum
Lucife-
rian.*
Etiamsi scripturæ auctoritas non sub-
esset, (de ritu manuum baptizatis
imponendarum loquitur,) totius
orbis in hanc partem consensus instar
præcepti obtineret. Nam Et multa
alia quæ per Traditionem in Ecclesiis
observantur, auctoritatem sibi scriptæ
legis

legis observaverunt: velut in lava-
cro ter caput mergitare: deinde
egressos lactis & mellis praguſtare
concordiam: --- die dominico & per
omnem Pentecosten nec de geniculis
adorare, & jejunium ſolvere: mul-
taque alia ſcripta non ſunt, quæ ra-
tionabilis ſibi obſervatio commenda-
etiam à vit. Animofius aliquantum iſtis
Baſilius M. ita conſuetudini talia
imputans, ut auctores Apoſtolos
propius deſignet. Ita verò Baſi-
lius aut quicumque Baſilii nomen,
ut quibusdam non immeritò vi-
detur, ſibi impoſuit, nimius certè
talium vindex: Nam ſi conſuetu-
dines, quæ ſcripto proditæ non ſunt,
tanquam haud multum habentes
momenti, conemur rejicere, impru-
denter, (ſatis quidè imprudenter,) &
ea damnabimus, quæ in Evange-
lio neceſſaria ad ſalutem habentur,
imò potius ipſam fidei prædicationem
ad nudum nomen contrahemus. Id-
que

Baſil.
M. de
ſp. S. c.
27. cit.
Grati-
an. c. 5.
Diſt.
XI. add.
tamen
B. Rhe-
nan. in
Tertull.
de Cor.
mil. c.
4. Mar-
tin.
Ebenn.
Exam.
Concil.
Trid. P.
1. de
Tradit.
p. 82.

que exemplis quibusdam declaraturus: Quod genus est, pergit, ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus? ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit scriptura? Invocationis verba, (verba consecrationis nostro more diceremus,) quoties ostenditur panis eucharistiae, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim hic contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum & alia quoque & ante & post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum unctionis, & præterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque Traditione? Ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde est

traditum? Reliqua item, quæ sunt in baptismo, velut renunciare Sætanae & Angelis ejus, ex qua scripturam habemus? Nonne ex privata & arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio servarunt? Tandem, ut propius indicaret, à quibus hæc ad Ecclesias temporis sui manassent, post allatas rationes, cur silentio hæc, adeoque sine scripto servari consultum fuerit, & adductum eum in rem etiam Hebraicæ Ecclesiæ morem: Ad eundem, subjicit, profectò modum & qui in primordio Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem.

VII. At verò, cum obscura, fraciùs urgeres, plerumque Traditionis istius origo esset, neque ab Apostolis eam profectam adeo certis indiciis ostendi posset, quod argumentis probare non licebat,
piè

piè nihilominus credi volebant.
 Ita voluit Augustinus, ita tamen;
 ut & alium rei fontem indicaret;
Illam autem, inquiens, quæ non scri- *August.*
pta sed tradita custodimus, quæ qui- *Epist.*
dem toto terrarum orbe observantur, *118. sub*
vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis *princ.*
Conciliis, quorum est in Ecclesia sa-
luberrima autoritas, commendata
atque statuta retineri; ejus rei spe-
cimina in Dominica Passione, Re-
surrectione, atque Adscensione in *Tom.*
Cœlum, adventuque Spiritus S. *VII. de*
de cœlo, anniversaria solennitate *Bapt.*
celebrandis adducens. Cui con- *contra*
venienter alibi, cum Donatistis, de *Donat.*
baptismo parvulorum, disputans. *Lib. IV.*
Quod universa, dicit, tenet Ecclesia, *c. 24.*
nec Conciliis institutum, sed semper *cit. et iis*
retentum est, non nisi Autoritate *à Guit-*
Apostolica traditum rectissime credi- *mund.*
tur. Et secutus hanc suam regu- *de Sa-*
lam in defendendo Ecclesiæ more, *cram.*
de non iterando eorum baptismo, *Lib. III.*
col. 440.
B. Bibl.
pp. Toy.
64.

quos hæretici schismaticive sacro
lavacro, modò ritè atque ex Chri-
sti præscripto, inundassent, contra
d. Tr. Eosdem ipse Augustinus, consue-
Lib. II. tudinem istam ex Apostolica Tradi-
c. 7. tione venire ita accipi jubet, sicut
multa non inveniuntur in litteris eo-
rum, neque in Conciliis posterorum:
& tamen quia custodiuntur per uni-
versam Ecclesiam, non nisi ab ipsis
tradita & commendata creduntur.

Lib. IV. Atque alibi, in neutram partem ab
c. 6. Apostolis præceptum exemplum-
ve ejus rei exstare confessus, id ta-
men ab iis observatum fuisse, exi-
stimari æquum putat, quod com-
muni Ecclesiæ usu receptum esset.
Ita nempe Augustinus: Non ergo
invenimus ab Apostolis aliquem, cum
apud hæreticos baptizatus esset, in
eodem baptismo admissum esse, &
communicasse. Sed neque hæc in-
venimus, ab hæreticis aliquem ve-
nientem, qui apud illos fuerit ba-
pti-

ptizatus, ab Apostolis denuo baptizatum. Sed illa consuetudo, quam etiam tunc homines sursum versus respicientes non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur. Et iterum tantum Lib. V. c. 23.
non iisdem verbis, eundem certè in sensum: Apostoli autem nihil quidem exinde (de baptismo non iterando) praeceperunt, sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, (hoc nempe auctore Donatista freti, paria quondam sentiente, insolentius sese contumaciusque gerebant,) ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiuntur. Nobis regulam istam nec affirmare, nec refellere animus est. Quàm recta ea, alii viderint. In id inquirere, ab officio, non minus nostro, atque

instituto alienum putamus. Re-
 ferendis tantum, non examinanda
 Antiquorum Ritibus intento
 suffecerit, indicasse, quæ defenden-
 dis istis præsidia alii adhibuerint;
 Benè, secusne, alia & diversa à su-
 scepta tractatione quæstio est.
 Quamquam, si quid mei iudicii
 est, non omnino ineptè vim istius
 argumenti ostendisse Epiphanius
 videri queat, nimia quidem talium
 admiratione atq; reverentiâ, uti jam
 alii advertère, sæpe satis in errores
 prolapsus, qui sua adversus Aërium
 disputatione, quascunque Tradi-
 tiones pari contemptu adspernan-
 tem, cum jejunia Quartæ sextaque
 feriæ, atque Paschatis, Constitutio-
 ni Apostolicæ (quod hic quidem
 non tuemur) accepta retulisset,
 Quis autem, quærit, magis de his
 novit hic ne seductus homo (Aërium
 designat,) qui etiam nunc superest,
 & huc usque in mundum versatur, aut
 qui

Mart.
 Chem.
 Exam.
 Concil.
 Tridēt.
 Part. 1.
 p. 80.
 et seq.
 Epiph.
 bar. 75.

qui ante nos testes fuerunt, habentes
ante nos traditionem in Ecclesia,
quique etiam à Patribus suis tradi-
tum acceperunt, quomodo
etiam hi à Patribus suis didicerunt,
qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ec-
clesia acceptam à Patribus suis ve-
ram fidem usque huc continet, item-
que Traditiones. Atque ita, ut præ-
ter exempla supra jam adducta
alia, (quanquam non ad ritus solos
pertinentia,) velut per faturam ad-
jiciamus, Baptismi etiam Infanti-
bus impertiendi morem Origenes,
atque Augustinus, Exorcismi insti-
tutum idem ipse Augustinus, Un-
ctionem Episcopi plebe unà cum
Episcopis vicinis, præsentem, Cy-
prius, Virginitatem, Monacha-
tum, Continentiam, Viduitatem,
Sacerdotum Cœlibatum, Cleri in-
certos gradus atque ordines disci-

Orig.

Tom. 26.

in Epist.

ad Ro-

man. c.

VI. Lib.

s. p. 543.

August.

To. VII.

de Pec-

cator.

mi-mer. 6

remiss. Lib. I. c. 26. Id. eod. Tom. de Nupt. & Concu-
pisc. Lib. II. c. 29.

Cyprian. Episc. ad Cler. & pleb. Hiss. p. 476.

J. Dall. mina, Jejunia, Sacramentorum ce-
de Cul. remonias, Memorias defunctorum,
tib. re- Hymnos & orationes matutinas,
lig. La- aliaque talia Epiphanius, Aposto-
tin. Lib. licæ, Traditioni ad signant. Atque
I. c. 9. eodem modo Amalarius Fortuna-
Epiph. tus, sequioris equidem seculi scri-
Epil. O- ptor, cum Apostolos oleo in redin-
per. Pa- tegratione infirmorum, Apostoli-
nar. cos autem viros in consignatione
Amal. neophytorum eo usos dixisset, at-
de Eccl. que prius istud Jacobi constitutio-
Offic. ne asseruisset, ex qua patere putat,
lib. 1. c
12. Bibl.
PP. To.
6. Col. *ab ipsis Apostolis hunc Sanctæ Eccle-*
370. B. *sie morem esse traditum, De eo oleo,*
adjicit, quod infunditur super neo-
phytos, non tale quid legimus, sed te-
nemus apostolicam consuetudinem,
& auctoritatem suam accepimus à
Romana Ecclesiâ. Et verò non
improbabile videri poterat, ab ipsis
Apostolis institutum esse, quod à
tota Ecclesiâ adprobatur, ipsa ori-
ginis incertitudine antiquissimos

Au-

Auctores referebat; neque enim tam facile particularium Ecclesiarum ritus ad ceteras transibant; Apostolorum ex adverso æqualis apud omnes veneratio erat. Longius tamen hac in re haud rarò progressos fuisse Ecclesiæ Doctores, etiam ex allatis apparet. Illud magis mirum, quòd Hieronymus, Amalario laudat⁹, de jejuniis, an ea per festos, & Pentecostes inprimis dies observare fas foret, disputans, *Non hoc dico*, ait, *quòd festis diebus jejunandum putem, & contextas diebus quinquaginta ferias auseram, sed unaquæque provincia abundet in suo sensu, & præcepta Majorum leges Apostolicas arbitretur.* Quâ quidem ratione diversa atque contraria etiam singularum Ecclesiarum instituta Apostolos auctores habuisse credendum foret; nř, quod vero similis est, id Hieronymum hisce voluisse putandum sit,

*Hieron.
ad Lucin. To.
I. Epist.
subfin.
Amal.
d. Lib I.
c. 36.*

fit, morem majorum non reveren-
tur minus habendum, ac si ab
Apostolis eum promanasse, com-
pertum esset; Quæ fortè Augusti-
ni etiam atque aliorum sententia
fuit. Quicquid ejus sit, haud adeo
certam istam immotamque regu-
lam fuisse, supra ex Augustino al-
latam, & cui similem ex Vincentio
Lyrinenſi refert Joh. Musæus, non
uno exemplo inter alios eruditissi-
mus Dallæus ostendit.

*J. Mus.
de Eccl.
P. 2.
Diss. 6.
m. 9. &
seqq.
Dall. d.
Tr. 19.
c. 11 sub
fin add.
Joach.
Hildeb.
Offert.
pro de-
funct. c.
7. n. ult.
G. 10. n.
8. Rit-
ual. O-
rant. c.
G. 7. 50.*

IIX. Istud certè haud dissimu-
landum, contigisse aliquando, ut
eadem de re diversa sentientes ad
Traditionem Apostolicam utrinq;
provocarent; non inidoneo ar-
gumento, haud adeo validis mu-
nimentis insistere, qui non nisi ista
niterentur. Sic exorta de Pascha-
te quaestione, cum Asiatici quartâ
decimâ post vernal æquinoctium
lunâ, ex veteri nempe more; Ro-
mani, aliique occidentalium Chri-
stia-

stiani, die, qui æquinoctium istud
proximè sequeretur, Dominico,
illud celebrari contenderent, utri-
que Apostolis testimonium denun-
ciabant. Qui quartum decimum
diem festum agebant, eum morem
à Joanne Apostolo sibi traditum
asserebant; Romani, & quibus ea-
dem cum Romanis placebant, Pe-
tro & Paulo sententiæ consuetudi-
nisque suæ auctoribus gloriaban-
tur. Ἀλλὰ δὲς, ut Socrates ob-
servat, ἔγγραφον ἔχει τὸ παλαιὸν
τὴν ἐν ταύτῳ ἀπόδειξιν. Verum
nemo istorum omnium testimonium
de his rebus scripto proditum profer-
re potest. Quamvis, ut verum fa-
teamur, ita Quartadecimorum
causam suâ ad Victorem, Episco-
pum Romanum, epistolâ egerit
Polycrates, Ephesiorum Antistes,
ut deducta à Joanne atque Philip-
po Apostolis per continuam Do-
ctorum seriem origine, ferme eam
com-

Socr.
Hist.
Eccl. 1. 5.

V. 21.

add. So-

cr. 1. 5.

VII.

19.

apud

Euseb.

H. E. 1. 5.

250.

comprobasse censeriqueat. Non
 tamen adeo ea liquida reddita, ut
 suam adversarii deserere cogeren-
 tur. Ita & in controversia, ab A-
 fris primum auctore Agrippino,
 Carthaginensi Episcopo suscitata,
 de repetendo eorum Baptismo,
 quos jam hæretici tinxerant, Ste-
 phano Romano Præsule, Aposto-
 rum auctoritatem obtendente,
 non tantum *neminem adeo stultum*
esse regessit, Firmilianus Cæsareæ
 in Cappadocia Metropolitanus, in
 Afrorum partes transgressus, suis
 ad Cyprianum paria secum statu-
 entem, Agrippini quippe non se-
 dis magis ac sententiæ successorem
 litteris, *qui hæc credat Apostolos tra-*
didisse; sed & consuetudini Roma-
norum alienam consuetudinem, sed
veritatis, sese opponere, iactitare au-
sus est, ab initio, si ipsi crederes,
hoc tenentem, quod ab Apostolis tra-
ditum fuerit. Id quod etiam Jo.
 Mu-

apud
Cypri-
an.

Jo. Mis-
seus d.
Tr. de
Eccles.
Disput.
161. nn.
241.

Musæum, multos post annos quàm hæc scripseramus, à nobis visum, jam observasse, advertimus. Ut adeo famâ atque hominum opinionone maximè Traditionibus his auctoritatem constituisse, dicere forsân liceat; haud adeò magno labore labefactandam, si adesset, qui sollicitare auderet.

IX. Quicquid illius fuerit, nihil adeò opus erat, ad Apostolicam ubique Traditionem recurrere. Sufficere poterat cuique, quanto magis toti Ecclesiæ, majorive illius parti, instituti sui rationem, constare, modo non sacris litteris, aut religioni adversaam. Neque in ritibus constituendis eadem præceptorum divinorû atq; in dogmatibus, necessitas erat. Observavit id, quanquam forte ulterius spectans, Tertullianus allatis in eam rem ex ipsa sacra scriptura exemplis

*Tertul.
de cor.
mil, c. 4.*

*Annon putas, inquiendo, omni fidei
licere*

Chemn. licere concipere & constituere; dun-
 Exam. taxat quod Deo congruat, quod di-
 Concil. sciplina conducatur, quod saluti profi-
 Frid. ciat; dicente Domino: Cur non & à
 Part. 1. vobis ipsis quod iustum est judica-
 de Tra- tis? ut non de iudicio tantum, sed de
 dit. sub- omni sententia rerum examinanda-
 fin. de bon. o- rum. Dicit & Apostolus: si quid igno-
 per. p. ratis, Deus vobis revelabit; Solitus
 177. p. & ipse consilium subministrare, cum
 181. in fin. 2. preceptum Domini non habebat, &
 2. Loc. quadam edicere à semetipso, sed &
 Bapt. ipse spiritum Dei habens deducto-
 Loc. rem omnis veritatis. Itaque consi-
 Theol. lium & edictum ejus divini jam præ-
 P. 3. p. cepti instar obtinuit de rationis di-
 391. Dall de vine patrocínio. Hanc nunc expo-
 Cultib. stula, salvo traditionis respectu, quo-
 Latin. relig. cundq; traditore censetur: nec aucto-
 Lib. 1. rem respicias, sed auctoritatem, &c.
 c. 1. Ita neque nostri ritus omnes
 Add. expressa divinæ legis sanctione,
 Ziegl. constant. Quam quidem in ne-
 d Diac. gotio de rebaptizandis quos di-
 c. 8. s. 26. xi.

ximus, apud Hæreticos jam bapti-
smate ablutis, utpote ceremoniæ
modum egrediente non malè urse-
rant Cyprianus, & qui Concilio
Carthaginenfi tertio eandem sen-
tentiam propugnabant, Africanæ
Ecclesiæ Præsules, quamvis causa
ipsorum minus profuturam. Et
verò, quamvis si Chrysostomi ver-
ba audias, auctoritatem legis non
habeat, quod ab hominibus insti-
tutum est, hisce tamen in rebus, ad
Ritus videlicet ceremoniasque
spectantibus, etiam hominum au-
ctoritati locum esse, neque ipse aut
Chrysostomus, aut Cyprianus, ne-
que alius quisquam puto negave-
rit, cui decus atque ordo Ecclesiæ
curæ cordiq; sit. Benè Augustinus:
*In his - rebus, de quibus nihil certi
statuit Scriptura divina, mos populi
Dei vel instituta majorum pro lege*
V. Cyr. Epist. ad Pompej. contra Ep. Steph. sub princ. Ep. 333. add. p. 335. & Lib. II. Epist. 20 ad Cecil. (p. 56.) ad Jubajā. de her. bapt. p. 326. 330. sent. E- pisc. de heret. baptiz. J. L. Ruel. Concil. Ie- Tom. I.

Period. I. Peric 3. Syll. 31.

Chrysost. in Matth. Homil. 83. p. 458. Edit. Commel. Augustin. Epist. 86. sub pr.

tenenda sunt. At nos omiſſa ulterio-
riori horum diſquiſitione rem-
iſſam aggrediemur.

CAPUT. I.

De

Catechumenis eorumque
discrimine à ceteris Chriſtianiſ,
ratione denomina-
tionis.

I.

CHriſti Eccleſiam intraturis
prima ſeſe per Baptiſmum ja-
nuam offert; at ipſa quoque cum
veneratione adeunda atque pul-
ſanda. Neque enim fas erat, pol-
lutos ſordidosque tantæ ſanctita-
tis regiam ingredi atque à Genti-
lium delubris ad ſacra iſta adyta
illotiſ pedibus proſilire. Induſtriâ,
ſtudio, meditatione, adeoque tem-
pore opus erat, quibus ad tantum
munus ſeſe accingerent, quos ani-
mus